FIDEICOMMISSARIAE MATERIAE TRACTATVS SIVE EPITOME,

D. FRANCISCI MARZARII
Vicentini I. C. Celeberrimi, ac
Summi Practici.

ACCESSERVNT INDICES DVO
copioſi, Quæſtionum vnus, alter Rerum notabilium.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum, ſub Monocerote, M. D. LXXXVIII.
Cum Priuileg. Cæſ. Maieſt. ad ſexennium.

Coll. Soc. Iesu Salm. ex dono Regum.
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

AD ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENT. FRANCISCVM MEDICEM FLORENTIAE, & Senarum Principem Sereniſſimum.

REGALIS veræ (niſi fallor) Philoſophiæ ſtudijs annos ſeptem adoleſcentię meæ cũ dediſſem, indeq; annum XXII. agens ad Doctoralia inſignia promotus, in patria cauſis agendis, litibus iudicandis, alijſque officijs vrbanis gerendis, laborem fidem, operamque pro virili per quindecim continuos annos impendiſſem, cœpi mente, animoque mecum ipſe voluere illud. M. Tullij ad Trebatium Iuriſconſul. MVLTI ſuam rem benè geſſere & publicam patria procul, multi qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati. Igitur peregrinationem ſuſcipiendam deliberaui, mihi certè non ſordidam, patriæ forſan non obſcuram quippe qui ſolum antè oculos meos propoſuerim tanquam ſcopum, præceptum illud ſanctiſ-

FIDEICOMMISSARIAE MATERIAE TRACTATVS SIVE EPITOME, D. FRANCISCI MARZARII VICENTINI I. C.

DEI OPT. MAX. NOM. INV.

Tractaturus breuiter materiam fideicommiſſariam, qua in toto iure nulla fuit plenius à veteribus illis Iuriſconſ. tacta: & qua in forenſi vſu noſtris temporibus nulla eſt magis verſata, formam fideicommiſſi præponam. Deinde iungam interpretationem, poſtremoq; ſubtexam fideicommiſſi actionem. Igitur aggrediendo ad primam partem formabo fideicommiſſum huiuſcemodi videlicet.

PRIMA PARS.

SVMMARIA.

1 *Hominem ad Dei imaginem per animæ infuſionem creatum eſſe.*

2 *Familiarum dignitatem per diuitias ſuſtentari, & per inopiam collabi & perire.*

3 *Formula fideicommiſſariæ ſubſtitutionis.*

CONSTAT, *ſicut Chriſtiana* religione firmiter tenemus, hominem † ad Dei imaginem per animæ infuſionem creatum eſſe, teſtante diuino verbo, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem 1

 tu dinem